Observatio.

In Caroli aula prope Rotenburgum ad Tubarim, qui vicus vulgo appellatur Larls= seu Ladolzhofen, vir quidam rusticus septuagenarius, cuius natura iam pridem ad hecticum inclinabat morbum, hernia inguinali incarcerata versus sinistram abdominis partem laborare coepit, que ut reprimeretur nulla remedia, licet alias praesentissima, efficacia sese praebebant. Post quartum demum diem ad me recursum est. Quum die XXVI. Martii anni praeterlapsi 1786. aegrotantem inuiserem, hunc inueniebam viribus plane destitutum atque aegerrimum. Venarum pulsus erat durus et paruus, et vomitibus fere perpetuis ipse torquebatur. Parte laborante propius a me inspecta, periculum faciebam, annon fieri posset, ut absque incisione remediis ordinariis ac facilioribus succureretur, quae vero spes vana omnino fuit. Itaque post aliquot horas ad operationem memet accinxi; qua facta patebat, herniam esse

in omento, cujus ex parte iam carbunculosa ac putrefacta ad 3. unciarum magnitudinem esse demendum. Quod etiam factum est, nulla tamen ligatura adhibita. Aegrum praesentia animi neque in ipsa operatione, neque post eam peractam reliquit. dolores non minus ac vomitus cessare, Somnus fere 2. horarum ei obtingere. interne procurabantur antiphlogistica, externe vero fomentationes ex speciebus vulnerariis, in vino coctis, ita tamen, ut linteola ante bene exprimerentur nec adeo calide imponerentur. Applicatio clysmatum, quae mane et vespere fiebat, ita tamen, ut semper 1. uncia pulpae Tamarind. per 2. pondo aquae calidae dissolveretur et sic suppeditaretur, effectui optime respondebat. Ita bene ac dolorum plane expers a me relinquebatur aegrotans, nihil ut paene votis meis superesset. Quoniam Chirurgo provinciali iniunxeram, ut praeter quod ex meis praescriptis cuncta accuratissime servaret, die seq. qui fuit

27. Martii mittendo nuncio certiorem me faceret, quaenam esset aegroti valetudo? maxima mea cum laetitia audiebam, eum nocte usum esse quietissima, per 4. horas integras, nullo facta interuallo dormiisse, tum petiisse, ut potus sibi porrigeretur, qui illi etiam ex thea decocta, quantum fere 2. patellae seu vascula minora potatoria capiunt, suppeditabatur aeque ac paullo post mixtura praescripta, et post horae spatium aliquid chyli ptisanae. tantum non omnia febris vestigia euanuisse, pulsum venarum mollem et celerem esse, urinam colorem habere citrinum, ipsum vero aliquid sudoris euaporasse, neque de ullis doloribus conqueri, nisi quod vulnus paululum ardenter pruriat, /: quod vero symptoma, uti cuilibet artis perito, immo lippis et tonsoribus notum est, quaelibet vulnera consequitur:/ denique clysma esse adplicitum, eoque flatus permultos magnamque excrementorum copiam abiisse.

die

28. c. mens: ipse eum inuisebam, et quod satis mirari haud poteram, plane ex votis meis ac quantum per morbi naturam sperare liceret inueniebam. nihil, nisi quod parcius iusto victus et alimenta sibi porrigerentur, conquerebatur. Quum ex Chirurgo quaererem, quomodo dies hesternus noxque nouissima praeterierint aegroto? Satis bene, hic ait, nisi quod noctu febris magis apparuerit. Heri sub vespere clysma esse adplicatum ex praescripto, quo multi rursus flatus atque excrementa abierint. totum per diem et saltem 4. nisi forte 5. horas noctis aegrum quietissimo somno usum esse, praetereaque per totum corpus leni sudore. pulsum fuisse pleniorem. Vulneris dolorem aliquid increbuisse, appetitum cibi esse vehementem, nihilominus tamen diaetam seruari praescriptam. Inquisito vulnere, omnia ire ex ordine ac suppurationem iam incepisse cognovi. addidi deinde ligaturam cum balsamo arceo

et liquamine myrrhae. reliqua medicamenta manebant, nisi quod unum solummodo clysma per diem ordinaretur, nec non matutino quoque vespertinoque tempore vulneris obligatio, et exactissima in genere cuius libet mutationis obseruatio. Sic optima cum boni exitus spe discessi a lecto aegrotantis.

29. nuncius mihi allatus est, nullam mutationem accidisse, et morbi statum esse ut heri.

30. idem nuntiabatur, modo hoc addita, quod suppuratio sese adaugeat, et sic porro.

April 1. rursus a me inuisebatur aegrotans, cuius plenaria restitutio mox sperari ut posset, omnia indicia aderant. Omnia adhuc

2. 3. et 4. ex voto procedebant.

5. Quum iterum ad eum venirem, haud procul abesse videbatur a plane-recuperata salute. Quid? quod vulnus iam claudi incipiebat. Qua re motus praecepi, ut medicamentorum hucusque adhibitorum dimidia tantum pars in fu-

turum daretur.

6.

7.

8. non nisi laetissimi nuntii adferebantur.

9. denuo a me inuisebatur aegrotans, quem quia felicissimis sub auspiciis inueni, etiam sub iisdem auspiciis relinquere poteram, cum ante ordinassem, ut ei prandii loco luteum oui gallinacei recens parti cum insculo carnium, potus vero non nisi ex hordei, vel auenaceae alicae chylo /: Gerstenoder Habergrütz Schleim: / daretur.

10. nuncius mihi allatus est eum praeterita nocte adeo quiete dormiisse, omninoque ita bene se habere, ut plane nescias, hominem aegrotum heic esse. at

11. mane certiorem me fecere eius propinqui, eum heri sub meridie, postquam satis bona portione juris ex oryza facti sese recreauerit, praetereaque ejus uxor, quantum pro crucigero emitur panis ex farina puriori confecti eo intriuerit, quae omnia cum maximo cum appetitu co-

medisse, morte esse inopinata exstinctum. —

„ itaque ciborum multitudine
„ miserum constipastis eique mortem
„ consciistis, nuntio respondebam.

Magnopere sane dolendum est, haud raro fieri, ut necessitas nobis iniungatur, difficillimis subeundi operationibus apud homines longissime a nobis remotis, quos inuisendi quotidie locos non datur, et aliorum hominum satis imprudentium curae debemus relinquere. Quo factum est, ut saepissime iam votum hoc meo pectore nutrirem, utinam huiusmodi aegrotantes publico reciperentur nosocomio, ubi rite eos tractare atque exoptatissimi euentus certus esse posses. Mortuus itaque est hic miser apoplexia et catharo suffocativo.

Scripsi Onoldi, die 6. Nov: 1786.

Philipp Jacob Leiblin,
Serenissimi Marchionis Brandenburgici Onoldini et Culmbacensis Chirurgus primarius, Collegii Medici Onoldini Assessor, artis Obstetriciae Magister, nec non membrum Imperialis Leopoldino-Carolinae Academiae naturae curiosorum.

No. 70.

deux pieces